

**Le Roy,
Alphonse-Vincent-Louis-Antoine -
candidat / Busson, Julien - président.
- An recens natorum satitati recubare
cum matribus conducat ?**

1773.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337 n°21***

21.

DEO OPTIMO MAXIMO

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis primâ mensis

Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXIII.

PRÆSIDE,

M. JULIANO BUSSON, Nosocomiorum Regiorum in Britannia
Inspectore, Doctore Medico.

An recens natorum satitati recubare cum matribus conducat?

I.



UM in matris sinu reconditur infans, mucosum hunc undique ambit fluidum quo ab omnibus injuriis defenditur & placide crescit. Ubi vero claustra dirumpuntur, aurâ vitali fruendus, insuetos tunc experitur dolores. Etenim ex medio molli & humido, in aridum & siccum transit, unde sensus elemento insueto, nunc calido, nunc frigido, in gratè afficiuntur: aëre irritata cutis rubescit & inflammatur; hoc fluido concussi pulmones convulsivè quodam modo expanduntur, unde sanguis ad illos insuetâ adhuc ipsis ratione magnâ vi detrusus, novam obit circulationem, vasorum infarctus solvit, totamque ita turbat corporis compagem, ut innatus vel ut ita dicam centralis calor ex imis penetralibus evolutus febrim accendat quâ omnes exagitati humores undique erumpere tentant: organa enim referantur secretoria; diversæ glandulæ diversa eructant fluida; sic inguina, axillæ, pinguissimum humorem, parotides, magnam salivæ copiam effundunt. Alterno motu respirationis fit sternutatio, & ex bronchiis atque ex naribus humor viscosus ejicitur: muscoli abdominales in motum perpetuum & vehementem concitati, viscera præmendo, meconique expulsionem promovendo, crîsim maximam perficiunt.

Tantis doloribus cum premitur infans, nonne repetitis ejulatibus manum auxiliatricem efflagitare videtur. Nonne natura misero succurrere jubet infanti? Omnia animantia prolem gremio materno admovent; hanc calore vitali fovant ut vivat, crescat, firmetur; cur ergo solus homo tam dulce munus deprecabitur.

UT tepidus Veris calor cujus beneficio progerminarunt vegetabilia, iisdem æque necessarius est ubi è sinu terræ eruperunt; sic ad sanitatem & incrementum necessarius matris calor tepidus. Totum fere effecit aquosum embryonem natura, humore enim mucoso ipsius prima rudimenta constabant, sensim sine sensu partes terreas agglutinando, infantem perfecit, quem in aquis posuit, profecto ut cresceret, & minus à corporibus ambientibus læderetur.

Sed ut tanta commoda ex humiditate emergant, ipsi calor adjungi debet, caloris enim beneficio omnia in universo terrarum orbe evolvuntur, sustentantur & crescunt, illo autem deficiente, languor & sæpissime mors atra supervenit. Cum tanta sit ergo vis caloris tepidi, debet in infante recens nato omni ope atque operâ promoveri. Ratione præditus homo, à brutis officia discet. Catulos in sinu recondunt canes; sub alis pullos fovēt aves, & ova quæ vitæ damno insecta pepererunt, alma parens natura vere tepido tantum vel æstate evolvit. Quadrupedes lambunt catulos qui molli & humido tactu linguæ matris iam mirifice delectantur, ut hanc curam ab ipsâ, tum clamore debili, tum gestibus ex poscere videantur, unde tam feliciter molossis lambendi prebentur à nutricibus infantes. Talibus sanè observationibus innixus Hippocrates lotionem tepidam infantibus commendavit.

Non nullorum populorum consuetudo nostræ opinioni refragari videtur; verum tam barbarus mos non à naturâ desumptus fuit, sed vel ab ignorantia vel ex malâ prudentiâ ortum duxit; inde peritissimi viri interquos emicuit Galenus consuetudinem damnarunt populorum & imprimis gallorum qui infantes recens natos in aquam fluviorum frigidissimam immergebant. Sic immani ac barbarâ consuetudine debiles infantes orco demittere mens erat. Adhuc dum in Finlandia hæc viget crudelis immersio, unde diversi morbi nostris regionibus minime noti pullulant. Sed omnia animalia & quidem amphibia solo instinctu ducta aquam frigidam sedulo à natis arcent illos econtra assidue gremio fovēt.

I I I.

NON omnis æque recens natis conducit temperies calida. Ignis ex ficcat fibras, humidumque radicale subripit. Diversa ex illius abusu nostris in urbibus exoriantur mala. Sanguis parte fluidiori orbatus, spissior evadit, in minimis stagnat vasis totumque corpus exsiccat. Ruricolarum infantes frigidum aerem igni anteponunt, benignumque calorem exercitio sibi conciliare amant.

Vestium adhuc incommodus calor nostris præsertim in regionibus ubi æquè stragulis è lanâ confectis & hieme & æstate cooperiuntur infantes. Minus his vestimentis fateor quam per ignem exsiccantur, sed alia inde emergunt incommoda: vapore perspirationis ita imbuuntur ut humescant, huncque humorem stagnatione acrem redditum, attractione quâdam, eò arctius, quò densiora sunt, conservant, eâque proprietate cutim irritant, pruriges concitant, epidemicosque morbos propagant. Talibus vestimentis laneis obrutus infans, si frigidus aeri exponatur, cutis statim rigescit, reperiuntur humores: unde convulsivæ tussis, debilitates stomachi, diarrhææ, & malorum omnigenum atra cohors. conducerent magis, si ex lino tantum conficerentur, sed tunc non omne ferrent punctum, imprimis ex eo quod adhuc humidum radicale abripiant, nec sat tepidum calorem præbeant. Calor ergo maternus nullâ ratione suppleri potest. Illâ frui tentat infans: si enim in eodem lecto à matre remotus cubet, ad hanc repere tentat, ab ipsâque foveri;

gaudet, usque dum calore sibi proprio sustentari possit. Cubatione matris sanæ sanitas infanti communicatur: fit quædam circulatio roris vitalis quæ poris utriusque recepta vires vitæ in unum coeunt utrique communicat & adauget; quod quidem ab omnibus medicis si cuti præstantissimum remedium vocatur. Sub levantur arthritici cum catellis cubantes. Senes cum puellis juventuti cuidam restituuntur, debilesque cum iis qui optimâ gaudent sanitate corroborantur. Sic resupinus infans sæpius fuget ubera matris, amorque, à physicis forsan pendens momentis, utrumque ætiori vinculo connectet.

I V.

NIL natura per saltus proinde infans ex loco calido & humido emergens, non debet atmospheram subire, nisi quatenus calidam & humidam: adeo calor maternus incremento favet, ut etiam intervolutilia quæ hunc non experta fuerunt sint debiliora, morbosaque evadant, quod quidem in geniosissime experientiâ probavit Cl. Réaumur. Omnibus nota est illius methodus pullos calore furnorum ex ovo excludere: illos sic arte natos debiliores esse iis qui à matre cubati fuerant observavit. Etenim illi multo majori moriebantur numero, quique superstes erant ova per sex menses tantum deponebant dum à matribus educati per totum fere annum foecundi essent.

Quorsum vero ab animalibus deducimus exempla. Nihil in arte obstetricâ præstantius deprehenditur ut vita incerta recens nato concilietur & servetur, quam ut matris calidis femoribus imponatur. Hic ergo calor ad incrementum per utilis quandoque ad vitam conservandam fit necessarius. Apud Americanos cum Nigritæ pepererunt suos infantes sinu sovent; non è lecto matris, non è casâ emergunt ante diem decimum quintum; secus afficiuntur convulsionibus, & imprimis peculiari quâdam rese in maxillâ inferiore manifestante.

Si animantibus recens natis maternus calor adeo necessarius est ut robustiora fiant: si in quibundam regionibus, & in quodam rerum statu, sine illo calore vitâ frui nequeat infans, quis afferere auderet multos ex nostris, ex denegato illius usu vitâ non fuisse privatos. Nonne immaniter agimus dum hisce tenellis commodum quod natura præstare jubet, abripimus; imprimis cum ob puerperium mater lecto destineatur. Hoc tempore elapso cum hoc commodo per diem frui nequeant infantuli, nonne iis de nocte concedi deberet? Arbitror tamen mercede conductam nutricem, non hoc munus tam probe adimplendum: sunt enim quædam convenientiæ & si ita loqui detur quædam affinitates quibus uterque sibi invicem necessarius evadit.


V.

OBJICIENT, ab humore perspiratorio matris vel nutricis aerem ambientem esse corrumperendum, sicque infanti noxiam allaturum. Observabimus primo quod non noceat perspirationis humor nisi quatenus morbo quodam afficiatur corpus perspirans: non infans enim suffocari debet, sudoreque matris madeseri, sed refocillari tantum, aeremque spirare liberum. Nonne etiam ex notionibus chemicis illa mutua necessitas desendi potest. In infante uberior adest acidorum copia, minus enim tunc humores ad animale naturam accedunt, materni vero ad alkalescentiam leviter vergunt: leviter dixi, ex eo quod in eo statu non nihil acescant, ut compertum est iis qui artem obstetriciam profitentur. Nonne illa principia inter se coadunantur & neutram naturam adipiscuntur? Nonne animalibus eadem ac nobis perspiratio? attamen naturæ adversarentur, si catulos à sinu arcerent. Sed mater amore singulari erga natum affecta, cum hunc in gremio tenerrime foveret, dumque dulcissimo tomno labores sublevare tentaret, evigilando, proh dolor!

Infantem dilectissimum ab ipsa suffocatum fuisse deprehendit; amorem eximium execrata, iam dulci curæ vale dixit in æternum, naturamque presso pede sequi jam recusat, imo abhorret. Tristissimo hujusce generis exemplo prudentia Salomonis toti terrarum orbi emicuit, & inde benigna parens religio, semper hominum invigilans felicitati, huic malo remedium adhibere tentavit. Sed neglectis causis quæ ad ipsam non pertinebant, effectus tantum consideravit ecclesia. Quæ vero de causâ latæ fuissent leges illæ ecclesiasticæ non rite intellexit hominum vulgus. Humanitatis sensus restringere mens ecclesiæ non fuit. Non suavit cubationem ex parte sanitatis esse periculosam. Medici munus est ad verum naturæ tramitem revocare matres, ipsisque suppeditare auxilia ne illorum amorem mæror consequatur. Jam fascias, quibus involutus infans, ne minimum quidem, liber, exerere motum, anxietatisque matrem reddere consciam, valeret, fugavit medicina recens cuius præcepta in exiguo opere enucleare tentavi, nunc melius naturæ voto obtemperata Neapolitana gens sub pœnâ corporis voluit cuicumque nutrici adesse machinam *arcuccio* Italicè vocatam tribus circiter pedibus longam, unoque tantum in parte superiori latam quâ mediante tam triste vitaretur incommodum; hujusce simplicis machinæ figuram perita manus infrâ delineavit. Sic ergo animalium instinctu ducti ratione & experienciâ suffulti, noxiarumque incommoda repulsi jure concludimus:

Ergò recens natis cubare cum matribus conducit.

Proponebat Parisiis ALPHONSUS VINCENTIUS LUDOVICUS ANTONIUS
LE ROI, Rothomagæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis
Baccalaureus, Theses Auctor. A. R. S. H. 1773. A SEXTA AD MERIDIEM.



A locus infantis B cervical arcuccio qui gallice *demi-berceau* posset vocari C incisura quâ nititur mamma ut commode infanti cubato possit preberi. D axiculus super quam nutrix enixa est E arcus ferreus tres axiculos connectens.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi, 1773.